dem non minùs valeat, ſi Domina nubat ſervo, quàm ſi ſerva Domino. Et verò ſi filius ſublimetur in principem, connaturaliter eidem ſubditur pater: ſi Religionem profiteatur mater, ſubjici poteſt filiæ, in quo utroque caſu nihil omninò, quod æquitati, aut decentiæ naturali repugnet, deprehenditur, cùm varietur rerum ſtatus, quem & ſummopere immutari per matrimonium, nemo ſapiens inficias ibit. Multò autem magìs prohibitum fuiſſe matrimonium patrui cum nepte, quàm affinium in eodem gradu, gravior perſuadet ratio, quandoquidem magis indecens, & à rectâ ratione alienum ſit, conjungi inter ſe conſanguineos, quàm paris gradus affines, id quod tamen prohiberi vidimus ad ℣. cit. C. 18. Sed neque Romanis olim hujuſmodi placuiſſe conjugia conſtat ex facto *Claudii* Imperatoris, *Aggripinam*, ſuam ex fratre *Druſo Germanico* neptem, ducentis, id quod & *ipſe Claudius* tamquam quid inſolitum agnovit, & vix ullus teſte *Tacito* L. 12. *Annal.* C. 5, 6, 7, imitatus eſt.

CAPUT V.

Rejectis aliis, tanquam inſufficientibus, noſtra ſtatuitur hypotheſis.

§. XXI.

Miſſis itaque cæteris, quæ nodum tangere non videntur, ſyſtematibus, alteri cuidam ſubſcribendum duximus hypotheſi, quam in ſequenti ſchemate proponimus:

DAVID

Salomon	*Fratres*	*Nathan*
Mathan		*Heli*
Jacob, Joachim	*Conjuges*	*Filia. Anna*
Jeſeph	*Conjuges*	*Maria*

JESUS

In hac hypothesi, *Jacob*, & *Joachim* germani fratres, duxerunt ambas filias *Heli*, *Annam* scilicet, & aliam *innominatam*, ex quo amborum conjugio prognati fuêre *Joseph*, & *Maria*, patrueles simul & consobrini, descendentes à *Davide* per *Salomonem* ex parte Patrum, per *Nathan* ex parte matrum. *Joseph* filius fuit naturalis, *Jacobi* quidem immediatus, *Heli* verò ex parte matris mediatus.

§. XXII.

Hypothesis hæc vel ex eo capite reliquis omnibus præstat, quod optimè sibi constet, facilis, & aptissima sit ad dissolvendas levi negotio difficultates omnes, quæ sive ex S. Scripturâ, sive ex ratione quovis modo aduci possunt. Ostenditur sic etiam Christum Dominum originem suam traxisse ex utraque *Davidis* familiâ, regiâ, & ducali; ex regiâ quidem per *Joachimum* avum suum, qui à *Davide* per *Salomonem*, & posteros ejus, Reges descendit; ex ducali autem per *Nathan*, ejúsque posteros, penes quos longo tempore fuit præfectura populi, postquam lineæ *Salomonis* abrogatum fuerat imperium. At, inquies, fata hypothesis nova est, pro arbitratu confícta, totíque antiquitati in cognita. Fatemur; sed & fateri necesse est adversarios, suas respectivè hypotheses, conjecturæ, aut nudæ opinionis limites non excedere; aut ostendant, si possint, aliorum systematum architecti, opiniones suas in conciliando utroque circa Genealogiam JESU CHRISTI Evangelista, *Matthæo*, & *Luca*, cum rei veritate consistere. Nova est, ultrò concedimus, nec nota patribus; verùm quid inde? Nonne & id genus aliæ latuêre patres, quas à *Julii Africani* systemate recedentes, subinde adoptârunt viri literati? Sufficit profectò, quod probabilis sit, quod iis quæ ad rem faciunt, satisfaciat phœnomenis, neque iisdem,

quêis aliorum, prematur incommodis. Quod SS. Patres hac hypothesi non fuerint usi, non obest. Opinionem, quæ suâ ætate communior erat, amplectebantur illi, quâ docete poterant, de falsitate manifestâ convinci nonposse scripturas sacras, neque ideò improbasse censendi sunt alios aliorum æquè, aut fortê magìs verosimiles conciliandi modos, in lucem postmodùm proferendos, queis feliciùs mota tollitur difficultas, & expeditiùs scripturarum salvatur authoritas.

§. XXIII.

Alius fortassis quempiam invadet scrupulus, an scilicet & hæc nostra hypothesis non impingat contra id, quod suprà in illâ R. P. *Andreæ Pauli* reprehendimus. Major certè, dices, inter patrueles, seu consobrinos conjunctio, carnísque cognatio est, quàm inter nepotem, & uxorem patrui, eò quod horum conjunctio solius affinitatis, illorum verò consanguinitatis sit; igitur sicut *Levit.* XVIII. 14. damnatur matrimonium nepotem inter, & uxorem patrui, sic & eâdem lege, tacitè saltem, patruelium & consobrinorum reprobari videntur connubia. Negativè respondent interpretum nobilissimi. Nullâ enim lege id genus matrimonia suâ etiam ætate vetita fuisse, agnoscit S. *Augustinus* L. 15. *de Civit. Dei* C. 16, Gothósque extitisse primos, qui illa proscripserint, quorundam non inanis persuasio est.

TANTUM.

POSITIONES BIBLICO CRITICÆ.

I. *Zacharias* stans *à dextris Altaris incensi*, Luc. I. 11. pretiosis indutus pontificalibus vestibus vulgò pingitur, incensum in Sanctum Sanctorum illaturus, errore duplici; uno, quòd summus Sacerdos non fuerit, & altero, quòd illis vestibus uti non potuisset. II. Sponsus B. M. V., S. *Joseph*, ùt Silicernius, & capularis senex communiter sistitur in tabulis, eíque in manu datur Virga lilium producens, ut significetur eum indicio Virgæ florentis, miraculosè in sponsum B. V. fuisse electum. Ad primum quod attinet, profectò

florens ejusdem ætas historiæ Evangelicæ magis congruit : alterum ex Apocryphis scriptis desumtum ad Apocrypha amandandum est. III. Varii Verbi Incarnationem adumbraturi, statuunt obtutui infantem de cœlo descendentem, ac super humeros gerentem figuram crucis : sed ignorantes non advertunt, se favere *Valentini* & *Marcionis* erroribus, Christum non ex substantia *Mariæ* fuisse conceptum, sed corpus è cœlo accepisse, ac per *Mariam*, tanquam per canalem transiisse fabulantium. IV. Effigies B. M. Virginis visitantis *Elisabeth*, quatenùs ejusdem comitem S. *Josephum* sistit, non tantùm nullum in S. Scriptura fundamentum habet : quin oppositum ex eadem colligitur. V. Nimiùm quantum *Helvidii* errori favet imago Deiparæ parienti, opem exhibentem adjungens obstetricem. VI. Sine ullâ etiam veritatis specie à quibusdam Circumcisio Christi in templo, eáque per summum Sacerdotem peracta, exhibetur. VII. Minùs fundati sunt, qui præsentationem Christi in templo, *Simeone* justo, Pontificalibus induto eum in ulnas accipiente, repræsentandam contendunt. VIII. Apocripha est delineatio stellæ præfulgidæ, in sinu suo puerulum exhibentis, quæ Magis apparuisse in Apocrypho libro Seth legitur. IX. Subtestæ fidei quoque est pictura repræsentans Magos, primos Christi veneratores, tanquam tres viros coronatos, atque regio satellitio stipatos, Viz. binos facie candidos, & unum fuscum in collapso palatio adorantes Servatorem. X. Picturam S. *Joannis* B. non pelle camelinâ, ceu satyrum, indutum, repræsentantem, sed veste ex pilis camelorum rudiùs contextâ, contra criticos criticè defendimus. XI. Passim etiam S. *Joannes* Evangelium suum exarans depingitur juvenis, ac imberbis, invitâ penitùs historicâveritate,ex quâ constat,eum decrepitam consecutum ætatemtempore,quo manum divino illi scripto admovebat. XII. Hydriæ in domo nuptiarum Canæ Galileæ, *positæ secundùm purificationem Judæorum* Joann. II. 6., instar urceorum figulinorum (quales Coloniæ extare dicuntur) ineptissimè delineantur. Erant enim aptatæ ad purificationem, per totius corporis immersionem, perficiendam ; *capientes singulæ metretas binas, aut ternas*, id est, 60, aut 90 pocula belgica. XIII. Ge-

mino errore depingitur Lazarus, in triclinio divitis epulonis, ab eodem flagris cæsus : nam, ut probabiliorem eorum sententiam, qui hunc Christi de Lazaro, & divite epulone discursum, meram fuisse parabolam sentiunt, secludamus : eum ad fores jacuisse, canésque ejus ulcera lambisse, è s. textu perspicuum est. XIV. Christo in die palmarum, non tantùm ramos, sed & vestes stravisse populum in via, contra *Ligtfootum* tuebimur. XV. Icones ultimæ cœnæ, Christum fermè cum Apostolis scamno, aut sellis insidentes sistunt, non tantùm à mensis accumbendi more illius temporis, sed & à textu, non alterius notionis verbo utente, quàm longissimè aberrantes. XVI. In adumbratione ejusdem objecti, alius communiter error in circumstantiâ committitur, dum panis crassus in manibus Christi pingitur ; constat quippe apud Hebræos panem buccellatim distinctum, fractionique idoneum in usu fuisse. XVII. Avero alienissima est pictura referens *Caipham*, dum Christum, se filium Dei affirmantem audiebat, vestes pontificales lacerantem. XVIII. Longissimè pariter à themate recedunt, qui Christum sanguinis imbre perfusum, crucíque suffixum, vivis corporis delicati coloribus ornant. XIX. Idem esto judicium de corporibus latronum concrucifixorum, qui & ipsi secundùm leges Romanorum, ante crucifixionem flagellati erant. XX. Tam horum porrò, quàm ipsiusmet Christi verenda, non veritas, sed verecundia tegit. Et cur latronibus cruces commissæ, eæque minores, Christo autem crux altior, & immissa in tabulis conceduntur ? Cur illi funibus, Servator clavis ferreis, iisque tribus duntaxat, cruci adstringitur ? XXI. Ad aniles fabulas amandamus miraculosum omnium Apostolorum, ad sepulchrum Deiparæ, quod verosimiliùs Ephesi extitit, ante gloriosam illius in cœlos assumptionem, conventum. XXII. cum Christianos persecuturus *Act.* IX. 3., iter Damascum institueret *Saulus*, equo insidens effingitur à pictorum alumnis : verùm S. *Lucas* suo erroris nescio penicillo taliter eum depingit, ut nec umbram quidem equi, cui insedisset, adjiciat, imò pedestris *Sauli* itineris plurimos colores objiciat.

O. A. M. D. G.

mino e
lonis,
eorum
vite ep
tiunt,
ejus u
Christo
vestes
bimur.
cum A
non ta
ris, sec
te, quà
ne ejus
stantiâ
sti ping
cellatim
XVII. A
Christu
pontific
themate
fusum,
ribus c
bus lat
leges R
XX. Ta
da, no
nibus c
tem cru
Cur illi
duntaxa
las ama
sepulchr
ante gl
tum. XX
Damascu
à pictor
cio pen
dem eq
itineris

itis epu-
biliorem
, & di-
lam sen-
canésque
. XIV.
, sed &
tum tue-
n fermè
sistunt,
tempo-
po uten-
mbratio-
circum-
us Chri-
em buc-
su fuisse.
am, dum
, vestes
ariter à
ore per-
ti colo-
corpori-
cundùm
ti erant.
verem-
r latro-
isto au-
untur ?
tribus
s fabu-
rum, ad
extitit,
onven-
3., iter
ingitur
is nel-
m qui-
Sauli